

illa Mysteria , hoc est objecta festorum propria non esse de
fide , ut in scholis loqui mos est ; nempe Ecclesia iudicio de
finita non esse : tametsi eadem certa sunt , atque ita certa ,
ut eis falsum subesse non possit . Sed quis Theologus recte
colligat , honorem , & cultum , quem iisdem Mysteriis ad
hibemus , non esse fidei Christianæ testificationem ? Est pro
fecto , eritque semper , dum manebit Ecclesia , invito licet,
ac repugnante libellarore , qui , quod attuli ex D.Thoma
argumentum (a) , velim attendat . In hoc enim ,

fragili querens illidere dentem ,

Offendet solido .

Hæc autem professio religionis , ac fidei fallax esse non po
test , cum honorem sacrum , & cultum , in quo potissimum
illa consistit , Ecclesia omnis exercet . Atque hæretici qui
dem in eo fallantur , quod ex hac tanta celebritate Concep
tionis innoxiae definitionem concludunt . Nec enim men
tem Ecclesia possunt cognoscere . Nos certe non fallimur ,
qui , quod colitur ab Ecclesia universa , falsum esse non
posse judicamus . Objectum igitur omne festorum die
rum , quod *στιαδῶς* unumquemque constituit , ac distin
guit a cæteris , omnino verum , & sanctum est . In Rosario
peculiare objectum habemus veritatem cuiusdam formulæ
orandi , qua quindecim Angelicarum salutationum decades ,
oratione Dominica interjecta , distinguimus , & ad earum
singulas totidem nostræ reparationis Mysteria-meditando re
colimus . Hanc autem formulam esse sanctam negabit nemo ;
ne ipse quidem negare potest libellator , nisi se velit a con
tubernalibus suis male multari . Idemque dicas de cæteris .
Sed hoc Rosarii præcipuum est , quod illa formula orandi ,
qua festi ejus objectum dicitur , ad Mysteria quindecim refe
ratur , quorum tredecim de fide sunt , duo postrema , hoc
est Assumptio , & Coronatio Mariæ , cum illa cœli , terræ
que Regina creata est , omnino sunt certa , sed non de fide ,
hoc est expresse non definita . Quamquam ea , quæ velut

pie-

(a) *Vide sup. num.6.*